Quelle: http://manuscripta.at/?ID=496
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Inde est quod si quis super ignem terram locare laboret, pro alterutrius pondero-
sitate et ignem sursum levitas subvehit et terram deorsum gravitas sidit. Similiter
et de sub aqua vel terra invento meatu sua ponderositate aer exploditur et
ad ignem usque contendens sub ipso retinetur. Et aqua super aerem vel ignem posita pro-
similiter ponderositate in ipsum versus usque ad terram liquitur ibique retenta super
ipsam locatur. Fugit enim unumquodque quicquid in genere suo dissimilitudine a se
diversum est. Accedit vero ad id quod qualicumque similitudine sibi conforme est et econverso
qualitercumque conforme est quod accedit. Unde subdit et quod appetit aliud eo ipso quod
appetit ostenditur ipsum esse naturaliter tale aliquid super diversarum similitudinum speciem
quale est. Hoc ipsum illud videlicet aliud quod appetit. Sufficiunt igitur.

Sufficiunt igitur que premisimus. A prudente vero rationis interprete suis unumquodque aptabitur argumentis. Questio vero huiusmodi est. Ea que sunt bona sunt. Tenet enim communis sententia doctorum omne quod est ad bonum tendere.

Regulas sive terminos quibus ea que secuntur efficiat hucusque pro-
posuit. Quibus quoniam et propositam ebdomadem in dubitationem ad-
ducere et quod de illa sentit se posse confirmare non dubitat, ait:
Sufficiunt igitur ad ea que secuntur efficienda hec que premisimus. Que
tamen quibus secuture demonstrationis sive inventionis sive conclusionibus
possint aptari, ego propter illos quorum petulantia michi putatur esse con-
iunctum studens obscuritatibus brevitatis minime notavi, ut
dicerem hoc vel illud exhibui vel illius regule ratione constare. A pru-
dente vero interprete rationis, quasi si ex ipsis inventis et forma ratiocinati-
onis locos ipsos rationales a quibus hec sunt deducta prudenter ad-
vertit, unumquodque predictorum suis aptabitur argumentis, id est ad quam earum
que predicte sunt regularum illud vel illud pertineat adsignabitur. Questio vero. De-
monstraturus quod ea que sunt in eo quod sunt bona sunt cum non sint substa-
lia bona, prius querit ea que sunt an bona sint an non. Que questio ut
non conflicto nomine et sola propter rationis utilitatem forma qualitercumque a sophis-
tis fieri solet, quo videatur ex utriusque partis sue probatione videtur fir-
mamentis eam in dubitationem adducit et primum probat illam partem
qua dicitur ea que sunt bona sunt. Deinde illam qua dicitur ea que sunt bona non
sunt. Et sic occasione solvende questionis istius occultum proposite
ebdomadis sensum qualiter a sapiente percipi possit exponit. Osten-
dit enim non modo ea esse bona que sunt, verum etiam qualiter bona sint osten-
dit. In quo non esse quidem substantialia bona et tamen in eo quod sunt esse bona
diffinit. Ait igitur: Questio vero ebdomadis huiusmodi est, id est per hanc
questionem et aliam et his que nos dicemus argumentis in ambiguitatem addu-
citur quod dico: ea que sunt, id est que subsistunt, quod sic intelligendum
ex sequentibus patet, bona sunt. Certum est enim et hoc tenet communis
sententia, non quidem omnium sed omnium doctorum, videlicet omne quod est ad pri-
mum summumque bonum tendere quamvis enim aliter et aliter aliorum et aliorum.